


LINGVA LATINA EX VSV

I.

COLLÒQVIA
DIVERBIA
FABELLAE

CVRANTE
IVLIO MEREGAZZI

EDITIO QVINTA



MEDIOLANI IN AEDIBVS
ANTONII VALLARDI BIBLIOPOLAE

MCMXXXIX


LINGVA LATINA EX VSV

I.

COLLÒQVIA
DIVERBIA
FABELLAE

CVRANTE
IVLIO MEREGAZZI

EDITIO QVINTA



MEDIOLANI IN AEDIBVS
ANTONII VALLARDI BIBLIOPOLAE

MCMXXXIX

PROPRIETÀ LETTERARIA RISERVATA

Copyright by « GUIDO VITALI »

1927

« PRINTED IN ITALY »

Milano. Coi tipi dello Stabilimento dell'Editore ANTONIO VALLARDI.

25 - VIII - 1939 - XVII (ggnn).



Prefazione alla quarta edizione

Presentiamo qui una quarta edizione dei nostri "Colloquia", modificati in parte nella loro composizione e nel titolo, ma più strettamente aderenti alle nuove norme ministeriali riguardanti l'insegnamento del latino nelle prime classi delle scuole medie.

Alle "fabellae", che chiudevano il volumetto abbiamo creduto aggiungere alcuni dialoghi brevi e facili, costituiti a un dipresso dallo stesso materiale di vocaboli e di frasi, già precedentemente usato nei "colloquia", ma qui disposto in azione, diremo così, più diretta, quasi mezzo di espressione viva di idee, di sentimenti che attualmente si agitano tra ragazzi.

Rappresentano così i "diverbia", un compimento naturale, una conseguenza, anzi, possiamo affermare, un modello di risultato raggiunto e raggiungibile

di quanto è preparato nella prima e maggior parte di questa nostra operetta.

Se l'alunno, seguendo la guida vigile ed attiva del suo insegnante, riesce, prima di illanguidire la propria energia intellettuale sulle morte pagine di un dizionario, ad assimilarsi un complesso linguistico e fraseologico di cui possa valersi, è evidente che sarà indotto, senza fatica e quasi spontaneamente, a tentare egli stesso di esprimersi in questa lingua, che tante generazioni di scolari han guardato con sgomento, con ripugnanza, quale ardua difficoltà, che necessariamente dovevan subire, ma che solo dopo un lungo tirocinio di noia e di disgusto avrebbero superato.

E qui ci sia permesso di manifestare un sentimento di nostra viva compiacenza.

Molti anni or sono, quando per la prima volta pubblicammo "Colloquia et fabellae", per l'iniziativa vivace ed autorevole di Guido Vitali, avanzammo un'idea tutta nuova circa l'insegnamento del latino nelle prime classi delle scuole medie; sostenemmo cioè che, per rendere più attraente e quindi più efficace tra gli alunni lo studio di questa lingua, occorreva soprattutto liberarlo dal pesante, arido, morto fardello delle regole sistematiche; si doveva trattare il latino come una lingua viva, come strumento cioè di espressione immediata, aderente e non lontano dal piccolo mondo, in cui è circoscritta l'esperienza del giovinetto. A questo patto

si potevano rendere familiari, senza disagio dell'alunno, il lessico, le forme e i costrutti più semplici e comuni, sin dal primo anno di ginnasio.

Oggi le nuove disposizioni ministeriali, se non hanno accolto la nostra idea sino alle sue ultime conseguenze, se mantengono tuttora la grammatica nel posto onorevole di norma suprema di orientamento, riconoscono tuttavia che, accanto a gli esercizi mnemonici di declinazioni, di coniugazioni e di analisi logica, non è meno necessario un indirizzo intuitivo, diretto, che sappia suscitare con l'immaginazione l'attività del discente, e lo disponga ad amare sin dai primi anni di studio questa lingua tutt'altro che morta dei nostri padri.

Se al conseguimento di tale scopo, che concilia felicemente le due tendenze, ci sarà dato avvicinarci, non riterremo del tutto vana la modesta opera nostra.

G. M.

I N D E X

•

SCHOLA NOSTRA.

I.....	Aula nostra	13
II	De tàbula nigra	14
III.....	Suppèllex quae in aula est (I)	16
IV	Suppèllex quae in aula est (II)	17
V	De matèria qua aulae suppèllex constat.....	18
VI	Puer se fert in ludum	19
VII	Puer in ludo	20
VIII	Discipulorum nùmerus	22
IX	De colòribus	23

DE CÒRPORIS PÀRTIBUS.

I.....	De òculis	27
II	De naso et de dèntibus	28
III.....	De lingua et de auribus	29
IV	Tèmpora, mentum, capilli	31
V	De còrporis àrtubus	32
VI	De valetudine còrporis	34

AETATES ET TÈMPORA.

I.....	Dies pùeri	37
II	De hebdòmada	39
III.....	De mense et de anno	40
IV	De hòminis aetàtibus	41
V	Anni tèmpora	43
VI	Ver	43
VII	Aestas	45
VIII	Autumnus	46
IX	Hìems	48
X	De tèmporis spatio et de horologio	49

DE FAMÌLIA.

I.....	De parèntibus	53
II	De liberis et de fàmulis	54
III.....	De maiòribus, consanguineis, adfinibus	56
IV	De Patria	57

DE ANIMÀLIBUS.

I.....	De cane, de fele, de àvibus domèsticis	61
II	De sue et de gallina	62
III.....	De bove, de ove, de càprea	64
IV	De èquo, de mulo, de àsino	65
V	De feris animàlibus	65
VI	De piscibus	68

FABELLAE.

I.....	Còchleae	71
II	Haedus et Lupus	71
III.....	Leo et Rana	72
IV	Cerva et Leo	73
V	Senex et Mors	73
VI	Àsinus et Vulpes	74
VII	Mùlier et Gallina	75
VIII.....	Gallina aurea ova pàriens	75
IX	Testudo et Àquila	76
X	Aethiops	77
XI	Gallina et Hirundo	78
XII	Vulpes et Leo.....	78
XIII	Jùppiter et Testudo	79
XIV	Adulescèntuli et Coquus.....	80
XV	Agricola et filii eius	80
XVI.....	Dòminus et Canes	81
XVII	Vulpes	82
XVIII ..	Mercùrius et statuàrius	83
XIX	Lupus et Anus	84
XX.....	Homo qui confregit státuam	85
XXI	Malèficus	85
XXII.....	Pùer et Mater	86
XXIII ..	Vulpes et Hircus	88
XXIV ..	Èquus et Àsinus.....	89
XXV	Mùlier et ancillae.....	89
XXVI ..	Piscator	90
XXVII..	Lignator et Mercùrius	91


DIVERBIA.

I.....	Pueri ante ludum inter se colloquentes	95
II	Pueri in ludo litterario.....	97
III.....	De pueris per nivem decurrentibus (I).....	99
IV	De pueris per nivem decurrentibus (II)	101
V	Mater et adulescentulus	103
VI	De fastis Patriae diebus (I)	104
VII	De fastis Patriae diebus (II).....	106
VIII.....	De fastis Patriae diebus (III)	107
IX	Puer patrem ex Hispania redeuntem exspectat	109

ARS GRAMMÀTICA.

Nomina et adiectiva	112
Pronòmina	113
Verba	115

SCHOLA NOSTRA.



I

Aula nostra.

Pùeri (puellae), consùrgite.

Consìdite; silèntium tenete.

Ego sum magister vester; et ìmpero vobis silèntium.

Spectate hanc aulam: haec aula vestra est.

Aula quàttuor parietes habet; ostèndite eos; primum, secundum, tèrtium, quartum.

In aula sunt quoque lacùnar et pavementum.

Pavimentum sub vestris pèdibus est: ecce illud.

Lacùnar est supra càpita vestra: ecce illud.

A lacunari lucerna pendet (vel duae, tres, quàttuor lucernae pendent).

Latitudo lacunaris aequalis est ac latitudo pavimenti.

Aula habet iànuam et duas (tres, quàttuor) fenestras.

Puer (puella), i ad iànuam. Àperi eam.

Òptime; nunc claude eam.

Redi ad locum tuum; loco tuo side.

Num fenestra patet? Spectate fenestram illam.

Mìnime; fenestra illa clausa est.

Num iànuā patet? Spectate eam.

Itaque; iànuā patet. Claudite eam.

(Magister saepe eadem iterat. Inde quaestiones proponit. Discipulus respondet. Deinde discipulus quidam se ad cathedram fert et quaestiones iterat. Discipuli respondent.)

QUAESTIONES.

Qui estis vos omnes? Quis ego sum? Quid impero vobis?

Quid agitis? Quid spectatis? Quae est haec aula?

Quot parietes aula habet? Quis est primus paries? secundus? tertius? quartus?

Quae sunt etiam in aula?

Ubi est pavimentum? Ubi sunt pedes vestri? Puer, ostende mihi pavimentum.

Ubi est lacunar? Quid pendet a lacunari?

Quot ianuās aula habet? Quot lucernas?

Quo redis? Quo sidis? Ubi nunc sedes?

Quid patet? Quid spectas? Quid vos omnes spectatis?

II.

De tábula nigra.

In aula vestra tábula nigra est; ea est quadrata.

Ostendite mihi tábulam nigram; ecce illa.

Discipule, i ad tábulam nigram.

Nos in tábula nigra gypso scribimus; gypsum album est.

Discipule, sume gypsum, atque nomen tuum scribe. Quod nomen tibi est?

Tábulam nigram mundam facimus spòngia vel panno. Pannum sume.

Optime; nunc tábula munda est.

Tábula nigra làpide nigro exstructa est.

Lapis tábulae nigrae niger et politus est.

Discípule, sume gypsum et scribe nomen meum. Quod nomen mihi est?

Nunc scribe nomen pàtriae tuae, pàtriae nostrae.

Nunc scribe nomen matris tuae; nunc patris tui.

Mihi est frater et soror; quot fratres et quot sorores tibi sunt?

Scribe ergo eorum (vel eius) et earum (vel eius) nòmina.

Mundam fac tábulam. Optime. Nunc discípulus àlius vè-
niet.

Puer, veni ad tábulam. Nomen sodalis tui scribe.

QUAESTIONES.

Ubi est tábula nigra? Qua forma est? Quo colore est?

Quid mihi ostendis?

Quis vult ire ad tábulam nigram?

Quo ire vis? Quo is?

Quid agis in tábula nigra? Quo scribis?

Quo colore est gypsum?

Quid sumis? Quid scribis?

Quid agis spòngia vel panno?

Quo colore est lapis tábulae?

Quod est nomen pàtriae nostrae?

*Quo nòmine mater tua vocatur? pater tuus? frater tuus?
soror tua?*

Quae nòmina scribis?

Scribite nòmina quae sunt in hac pàgina.

Scribite adiectiva.

Scribite pronòmina.

Scribite verba.

III.

Suppĕllex quae in aula est (I)

In aula sunt cathedra magistri (vel magistrae) et subsĕllia discipulorum.

Magister (vel magistra) sedet in cathedra, quae est alta; ex cathedra spectat discipulos et discipulas omnes, et cum iis loquitur.

Super cathedram est atramentarium, in quo atramentum est, et calamus.

Magister calamum atramento intingit, atque eo scribit in libello suo.

Atramentum est eodem colore ac tabula, id est nigrum.

Sub cathedra est gradus qui eam sustinet.

In mĕdia aula sunt subsĕllia; discipuli et discipulae in subsĕlliis sedent.

Puer, exi e tuo subsĕllio, et ad cathedram veni. Optime; nunc redi ad subsĕllium.

Discipuli, ex subsĕlliis, oculis magistrum spectant, atque attentas aures ei praebent.

QUAESTIONES.

Quae suppĕllex in aula? — Ubi sedet magister?

Quid ex cathedra spectat? — Quid agit?

Quid est super cathedram? — Quid est in atramentario?

Quo magister intingit calamum? — Ubi scribit?

Quid est sub cathedra? — Cui prodest?

Quid est in mĕdia aula?

Qui sedent in subsĕlliis?

Quem spectant discipuli ex subsĕlliis?

Quid ei praebent?

IV.

Suppèllex quae in aula est (II)

E medio pariete, super cāthedram. Iesus Christus Cruci adfixus pendet.

Iesus Christus Rex est et Redemptor mundi.

Iuxta Christum a làtere dèxtero effigies Regis nostri suspensa est. Regi Italorum nomen est Victorius Emmānuel tertius.

Rex veste militari pictus est, quia exercitus nostri est imperator.

Post autem Aethiopicum bellum et victoriam ab exercitu nostro in Aethiopia partam, Rex ab universo populo Imperator novi italici Imperii conclamatus est.

A sinistro làtere Redemptoris effigiem videmus Ducis nostri.

Dux noster, cui nomen est Benitus Mussolinius, Fasces italicos instituit, Italorum nationem gubernat et administrat. Post victoriam omnes Itali artificem et conditorem Imperii eum conclamaverunt.

Tàbula quoque geogràphica parieti laevo (vel dèxtero) suspensa est. In ea Itàlia descripta est.

Tàbulam geogràphicam omnes spectate. Ecce, in mèdia parte, prope Tyrrhenum mare, nomen Urbis est, magnum et illustre nomen : Roma.

Urbs Roma sedes fuit Romanorum impèrii. Romani urbem suam nominabant caput mundi.

QUAESTIONES.

Quis e medio pariete pendet? — Quis est?

Cuius effigies a latere dextero suspensa est?

Quod nomen Regi nostro est?

Qua veste pictus est? Cur?

Quando (vel quo tempore) et a quo Imperator appellatus est?

Cuius effigiem a sinistro latere Redemptoris videmus?

Quod est eius nomen? Quid instituit? Quem gubernat?

Quomodo eum conclamaverunt post victoriam nostram?

Quae tabula suspensa est parieti laevo (vel dextero)?

Quae terra in ea descripta est?

Quod nomen est mèdia in parte Itàliae?

Ubi est urbs Roma? — Quid fuit Roma?

Quo nòmine Romani urbem suam nominabant?

Scribite nòmina, adiectiva, prònomina, verba.

V.

De matèria qua aulae suppèllex constat.

Cathedra mea e ligno est. Etiam gradus qui eam sùstinet est ligneus.

Subsèllia quoque vestra ligneae sunt.

Quid aliud ligneum est in aula?

Sunt ligneae fores et fenestrarum formae; in fenestris autem sunt làminae vitreae.

Vitrum fenestrarum est fràgile. Omnia vitrea sunt fràgilia.

Per vitreas làminas lux diei trānsit in aulam; ventus autem et frigus non trānseunt.

Etiam forma tabulae nigrae est e ligno. Tabula ipsa, ut iam diximus, est e lapide.

Duae ligneae columnae sùstinent tabulam nigram.

Aulae parietes sunt cocto làtere et calce exstructi, atque inductio calcis et arenae eos tegit.

Aulae iànuā clave clauditur. Clavis e ferro est et rotatur in sera.

Discipule, i ad portam, et rota clavem in sera. Nunc vere iànuā clausa est.

Et nunc retro rota clavem; òptime: nunc iànuā vere patet.

QUAESTIONES.

Ex quo cathedra constat? Ex quo constant gradus?

Qua matèria sunt subsèllia? Qua fores? Qua fenestrae?

Quid est in fenestris?

Quo modo est vitrum? Quo modo sunt òmnia vitrea?

Quid per vitra transit? Quo transit?

Quid per vitra non transit?

Ex quo est forma tàbulae nigrae? Ex quo est tàbula ipsa?

Quid tàbulam sùstinet? Qui sunt? Quot sunt?

Ex quo sunt parietes? Quid eos tegit?

Quo iànuā clauditur? Ex quo clavis est? Quid est sera?

Quid agis, puer? Quid rotas? Ubi rotas?

Quid nunc agis clave?

Scribite nòmina, adiectiva, pronòmina, verba.

VI.

Puer se fert in ludum.

Discipulus quisque se ad scholam confert complura momenta ante inìtium lectionis.

In itìnere gravis procedit, vitans òmnia viae perìcula; stultus est qui currit, vel ludit; mali sunt qui inter se ri-
xantur, vel, quod peius est, pugnis aut libris colluctantur.

Discipulus, qui sodali alicui occurrit, eum salutat:

« Ave! » et cum eo iter facit, de rebus scholae còlloquens.

Cum scholae tintinnàbulum inìtii dat signum, discipulus in aedificium ingrèditur, atque magistros romane salutat.

Ambulacra tàcitus peràmbulat; scalarum gradus ascendit,
atque in aulam ingrèditur.

Pàllium et pìleum deponit; in subsèllio locum suum òc-
cupat, libros et libellos parat.

Cum magister in aulam ingrèditur, statim consurgit, at-
que eum romane salutatur.

QUAESTIONES.

Quando discipulus se ad scholam confert?

Quo modo in itinere procedit? Quid vitat?

Quo modo se gerit stultus quisque discipulus?

Quid mali discipuli agunt? Quo colluctantur?

Cui dicit: « Ave »? Quid autem facit? De quibus collò-
quitur?

Quid signum dat inìtii? Quid tum agit discipulus?

Quos salutatur? Quo modo?

Quid peràmbulat? Quid ascendit? Quo ingrèditur?

Quid deponit? Quo it? Quid parat?

Quis autem in aulam ingrèditur? Quid agit puer? Quem
salutat?

Scribite, etc.

VII.

Puer in ludo.

Secum in ludum omnes discipuli libros et libellos portant.
Càlamum quoque portant, quo in libellis scribunt.

Vos, discipuli, in libris verba lègitis, quae ibi typis im-
pressà sunt. Scribitis autem in libellis verba quae vobis ma-
gister dictat.

Libri et libelli fòliis albis constant, tenui filo consutis.

Boni discipuli bene servant libellos suos, atque in iis nitide et diligenter scribunt. Ipsi autem non in schola tantum, sed etiam domi libros suos legunt et perlegunt. Cum magister discipulum quemdam appellat, is statim respondet: « Adsum », id est: « Ego praesens sum ».

Cum magister discipulum quemdam appellat, qui non est in aula, discipulus eius comes in subsellio, sine mora, respondet: « Abest », id est: « Ille non est in aula ».

Cum magister in aulam ingreditur, discipuli omnes statim consurgunt et eum romane salutant.

Idem faciunt cum magister exit; idem faciunt per ambulacra, cum praesidi vel alii magistro occurrunt.

QUAESTIONES.

Quid secum discipuli in ludum portant? Quid etiam?

Quo istrumento in libellis scribunt?

Quid legitis in libris? Quo in eis verba impressa sunt?

Quid calamo scribitis in libellis?

Ex quo constant libri et libelli? Quo modo sunt folia librorum et libellorum? Quo consuta sunt?

Quid bene servant boni discipuli? Quo modo in iis scribunt?

Quid agunt domi?

Quando discipulus respondet magistro: « Adsum. »? Quid hoc verbum sonat?

Quando discipulus quidam non est in ludo, quis loco eius respondet? Quid respondet?

Cum magister ingreditur in aulam, quid agunt discipuli? Quo modo eum salutant?

Quando idem faciunt? Ubi idem faciunt? Cui occurrere possunt discipuli per ambulacra?

Scribite nomina, adiectiva, verba.

Ea numerate.

VIII.

Discipulorum nùmerus.

In mèdia aula sunt viginti subsèllia; discìpuli in subsèlliis sedent. In unoquoque subsèllio bini pùeri vel binae puellae sunt.

In subsèlliis ergo sedere possunt quadraginta discìpuli vel discìpulae.

Si subsèllia duodeviginti essent, in iis sedere possent sex et triginta discìpuli; si sèdecim, triginta duo; si quìndecim, triginta, si quattuòrdecim, duodetriginta.

Si numeramus quot sint in hac aula discìpuli, in dèxtera parte eos decem esse videmus, in sinistra octo, in mèdia (vel in duobus mèdiis) duòdecim.

Omnes sunt triginta in aula nostra.

Sed plures accìpere pòssumus; duos in dèxtera adiùngimus, qui in vácuo subsèllio, id est in duobus vácuis locis, sèdeant; tria in mèdia parte loca, mox, a tribus puellis occupabuntur.

Unum, qui réliquus est, cui tribuemus?

Cum Càrolus, qui nunc abest morbo oppressus, convalescèrit, eum locum tenebit.

Itaque nùmerum discìpulorum sex et triginta in hac aula complèbimus.

QUAESTIONES.

Quot sunt subsèllia in mèdia aula? Qui in subsèlliis sedent?

Quoteni pùeri (vel quotenae puellae) sunt in unoquoque subsèllio?

Quot pueri sedent ergo in subselliis?

Si discipuli decem essent, quot subselliis oporteret? Si duodecim? Si quattuordecim? Si quindecim? Si viginti? Si quinque et viginti? Si viginti quattuor? Si duodetriginta? Si quadraginta? Si quadraginta duo? Si quadraginta sex? Si undequinquaginta? Si duodesexaginta? Si sexaginta?

Quot discipulos videmus esse in dextera parte? Quot discipulos in sinistra? Quot discipulos in media? Quot sunt omnes in aula?

Quot discipulos adiungere possumus in dextera parte? Ubi sedebunt? Quot discipulos adiungere possumus in sinistra? A quibus tres loci in media parte occupabuntur?

Quis locus reliquus est? Quis abest? Cur abest? Quando locum suum tenebit? Quid tum complebimus?

Exempla iterari possunt, notis commutatis.

Quot litterae in unoquoque verbo huius exercitationis sunt?

IX.

De coloribus.

Rosa est rosea. Etiam caelum, vespere, est roseum.

Herba est viridis; folia arborum sunt viridia.

Caelum serenum est caeruleum; mare quietum est glaucum.

Sanguis est ruber; papaver quoque est rubrum; labra hominis rubra sunt.

Citreum est gilvum; aurum est flavum; leo est fulvus; quidam pueri sunt rufi.

Nix est alba; dentes sunt albi; lac quoque album est; libellorum paginae albae sunt.

Lapis tàbulae est niger; nox est nigra; pùpulae oculorum sunt nigrae.

Vexillum itàlicum est rubrum, album, vèride.

QUAESTIONES.

*Quo colore sunt rosae? Quo colore est caelum vèspere?
Dic mihi quedam virìdia.*

Dic mihi nòmina quaedam rerum caerulearum.

Quid est in còrpore hòminis rubrum?


Quod metallum est flavum? Quod album?

Quas res apud te albas vides?

Quid vides circum te nigrum?

Quibus colòribus est vexillum italicum?

DE CÒRPORIS PÀRTIBUS.



I.

De oculis.

Pars suprema corporis humani est caput.

In capite sunt oculi, nasus, os, aures, capilli, tempora, genae, mentum.

Duos oculos habemus; ii sunt nigri vel glauci.

Oculis videmus omnia quae circum nos sunt.

Cilia et supercilia protegunt oculos; cum dormimus, cilia obserata sunt.

Cum vigilamus, cilia reserata sunt, et pupulae in aperto sunt. Pupulae sunt parvae et nigrae.

Sunt quidam qui altero oculo carent; eos luscos dicimus.

Luscus dicitur etiam cocles.

Quidam vero ambobus oculis carent. Eos dicimus caecos.

Caeci magnam miserationem movent.

Qui distortis oculis intuetur strabos est.

Oculi bonorum puerorum sunt pulcherrimi et ridentes.

QUAESTIONES.

Quid est caput? Tangite caput vestrum. Quid tangitis?

Quid est in capite?

Tange, puer, òculum dèxterum, sinistrum; aurem dèxteram, sinistram; tange nasum tuum, os tuum, tuos capillos; tange tèmpora, genas, mentum.

Quot òculos habemus? *ambos duos oculos*

Quo colore esse possunt òculi? *nigri*

Quo colore sunt òculi tui?

Quid òculis videmus?

Quid òculos pròtegit? Ostènde mihi cilia et supercilia.

> Oculum dèxterum òbsera; nunc rèsera eum.

Oculum sinistrum òbsera; rèsera eum.

Ambos òculos òbsera; eos rèsera.

Quid àgimus ciliis reseratis? Quòmodo sunt pùpulae?

Quis est luscus? Quo luscus caret? Quo alio modo vocatur?

Quis est caecus? Quid caeci movent?

Quis est strabo? Quòmodo strabones intuentur?

Quòmodo boni pùeri habent òculos?

II.

De naso et de dèntibus.

Nasus est in mèdia parte faciei, sub òculis et super os.

Naso odores sentimus, id est olfàcimus.

• Duo parva foràmina nasi vocantur nares.

Malis et sòrdidi pùeri digitos infigunt in nasum; boni pùeri nunquam id faciunt, sed nasum detergent sudariolo.

In ore haec sunt: labra, dentes, lingua, palatum.

Labra sunt duo: labrum supèrius et labrum infèrius. Labra rubro colore sunt.

Cum os apertum est, apparent dentes, lingua, palatum.

Dentes sunt albi, cum pùeri eos bene lavant; cum eos non lavant, sòrdidi sunt et nigri.

Dentes sunt triginta duo, sed pùeri nondum omnes dentes habent.

Cum homo senescit, dentes dècidunt.

Dèntibus cibum màndimus. Oportet semper accurate cibum màndere. Qui cibum accurate non mandit, eum non còncoquit et ex stòmacho laborat.

Cum dens dolet, oportet illum curare aut extrahere.

Dentes laesi curandi aut extrahendi sunt.

QUAESTIONES.

Ubi est nasus? Ostende mihi eum. Nasum tange. Quid tangis? Quid naso facimus?

Quo modo vocantur duo foramina nasi? Quo modo sunt? Ostende àlterum foramen; quid est? Ostende àlteram narem.

Qui mali et sordidi pùeri sunt? Quid est sudariolum?

Quae sunt in ore?

Quot sunt labra? Quo colore sunt? Quid ex ore aperto apparet?

Quo colore sunt dentes? Quo modo pùeri habent dentes, cum eos non lavant?

Quot dentes homo habet? Quando ii dècidunt?

Quid àgimus dèntibus? Quo modo debemus cibum màndere?

Ex quo laborat qui cibum accurate non mandit?

Cum dens dolet, quid agendum est?

III.

De lingua et de auribus.

Cum os aperimus, lingua conspìcitur.

Lingua est rubra et mòbilis.

Lingua lòquimur, lingua sàpores sentimus.

Boni pùeri linguam còhibent, cum in schola sunt, et solum locuntur cum magister eos intèrrogat.

Mali discipuli sunt qui linguam movent cum condiscipulis colloquentes, dum magister lòquitur.

Etiam peiores sunt qui linguam èxtrahunt, et magistris vel condiscipulis subsannant.

Pùeri, linguam cohibete! Nunquam vos tacuisse paenitebit.

Aures duae sunt, ex utraque parte faciei prominentes.

Auribus rumores, sonos, voces percipimus.

Duas aures habemus et unum os; nam multa audire et pauca loqui debemus.

Aures quoque semper debemus mundas habere.

Cum puer malus est, pater ei aurem vellit.

Aures àsini longae sunt.

Aures pùeri qui falsa dicit crescunt sicut aures àsini.

QUAESTIONES.

Quando lingua conspìcitur?

Linguam tuam ostende. Quo colore est lingua?

Quid lingua fàcimus?

Quid in schola boni pùeri fàciunt? Quando locuntur?

Qui sunt mali discipuli? Qui sunt peiores?

Quid cohibere debetis? Cuius rei vos nunquam paenitebit?

Quot sunt aures? Ex qua parte pròminent?

Quid auribus percipimus?

Cur duas aures et unum os habemus?

Quo modo aures servàbimus?

Quid pùero malo pater facit?

Quo modo sunt àsini aures?

Cuius aures crescunt sicut aures àsini?

IV.

Tèmpora, mentum, capilli.

Tèmpora pùlsant. Cum tèmpora non pùlsant, homo mortuus est.

Cum tèmpora nimis frequenter pulsant, homo feбри laborat. Tunc tèmpora calidissima sunt.

Mentum est infima pars faciei.

Mentum puerorum est nitidum et politum. Mentum virorum est barba coopertum.

In càpite sunt capilli.

Capilli sunt nigri, vel flavi, vel rufi.

Cum homo senescit, ut dentes, capilli quoque dècidunt.

Quidam pùeri vel homines habent cincinnos: hos vocamus cincinnatos.

Cincinnus est capillus adtortus et dispòsitus in modum ànnuli.

Capillos accurate còmere debemus.

Mulieres quondam habebant capillos, id est crines, longos et fluentes; nunc eos sicut viri tondent.

Homo qui capillos amittit calvus dicitur, id est calvitie adfectus.

Cum homo senescit, capilli cani fiunt. Canities honoranda est.

Caput super collum stat.

In còrpore sunt viscera: cor, pulmones, iecur, stòmachus, intestina.

Per totum corpus sanguis fluit.

QUAESTIONES.

Quid in càpite pulsat?

Quando homo mortuus est? Quando feбри laborat? Quo modo sunt tunc tèmpora?

Quid est mentum? Quo modo est puerorum mentum? Quo modo est virorum mentum?

Quid est in capite? Quo colore capilli sunt?

Quando capilli dècidunt?

Quid habent quidam pueri vel homines? Quo modo hos vocamus? Quid est cincinnus? Quid sunt cincinni?

Quid còmere debemus?

Quo modo mulieres quondam capillos habebant? Quo modo eos nunc habent?

Quis calvus dicitur? Quando homo calvitie adfìcitur?

Quo modo capilli fiunt cum homo senescit? Quid honorandum est?

Ubi stat caput? Quae viscera in corpore sunt?

Quid fluit per corpus? Qua fluit sanguis?

V.

De còrporis àrtubus.

Homo habet duo bràchia, duas manus, duo crura, duos pedes.

Bràchia ex ùmeris pendent. Bràchiis manus connexae sunt.

Utraque manus et uterque pes quinque dìgitos habet.

Ergo manus ambae decem dìgitos habent et pedes ambo decem dìgitos habent. Manus et pedes simul viginti dìgitos habent.

In extrema parte digitorum sunt ùngulae.

Ùngulae bonorum puerorum semper accurate sectae sunt et mundaе.

Talus est postrema pars pedis.

Malus puer est qui talo formicas vel àlias bestiolas òp-
primit.

Malus puer est etiam qui mànibus vel pèdibus condiscì-
pulos vel fratres vel sorores pèrcutit.

Bonus puer semper manus et pedes còhibet.

Mànibus scribimus, tàngimus, prehèndimus, òmnia fere
fàcimus.

Pèdibus ambulamus vel cùrrimus.

QUAESTIONES.

Quot bràchia, quot manus, quot crura, quot pedes habemus?

Ex quo bràchia pendent?

Quibus manus connexae sunt?

Quot digitos ùtraque manus habet? Quot digitos uterque pes habet?

Quot digitos habent manus ambae? Quot digitos habent pedes ambo?

Ubi ùngulae sunt?

Quo modo servare debemus ùngulas?

Quid est talus?

Quis est malus puer?

Quos pèrcutit malus puer mànibus vel pèdibus?

Quid còhibet bonus puer?

Quid mànibus àgimus?

Quid pèdibus àgimus?

VI.

De valetudine còrporis.

Qui omnibus còrporis partibus commode ùtitur, sanus, validus est.

Nonnullis tamen morbis corpus interdum cruciatur.

Qui ex aliqua còrporis parte laborat, aegrotat.

Sunt autem còrporis curandi tuendique artes, quarum praescripta si servamus, plures morbos effùgere pòssumus.

Omnibus pueris et adolescèntibus corpus magna cum diligentia excolendum est.

Còrporis vires ac nervi variis exercitationibus aluntur atque augentur, quae *ludigymnici* appellantur.

Haec sunt genera ludorum, quibus adolescentes maxime delectantur :

Pilam manibus vel pedibus pulsant atque iactant; soleis ferratis per glaciem, soleis ligneis per nivem decurrunt.

Verum est illud verbum, quod dici solet : « Mens sana in còrpore sano ».

Lictoria pubes, ut Dux noster praecepit, non solum litterarum vel doctrinarum studiis mentem instruit, sed etiam vires còrporis educat atque confirmat.

QUAESTIONES.

Quem validum dicimus?

Quis aegrotat?

Qua ratione nonnullos morbos effugere pòssumus?

Quid faciunt ludi gymnici? Quibus ludis se exercent adolescentes?

Quid Dux noster praecepit?

AETATES ET TÈMPORA.



I.

Dies pueri.

Dies viginti quattuor horas habet. Harum viginti quattuor horarum àlias vigilamus, àlias somno damus.

Septem vel octo horas dormire satis est.

Primo mane surgit bonus puer, et preces fundit ad Deum ut ipsum et omnes, praesertim caros familiares, pròtegat et custòdiat.

Pòstea accurate lavatur et òmnia quae ad munditiam pèr-tinent agit.

Deinde stòmachum réfovet lacte, vel àlio quodam potu, frústulis panis vel crústulis, butyro, melle, similibusque suà-vibus et pueris gratissimis cibus.

Exin libros et libellos còlligit, matrem deosculatur et ad scholam se fert.

Cum e schola dimissus est, merìdies fere est, nam totum mane in schola consùmitur.

Tunc domum redit, ubi eum pràndium opperitur.

Post pràndium pensis a magistris impòsitis vacat; non-nihil tèmporis etiam ad ludum vel recreationem reservat, vel domo egrèditur deambulatum.

Sero, cum diei lux iam defecit, dènuo famìlia tota ad coenam colligitur.

Post coenam puer aliquantulum tèmporis cum suis moratur, cavens tamen ne illorum sèrios sermones puerilibus suis conturbet; pòstea parentes deosculatus omnibusque consalutatis in cubiculum suum secedit.

Ibi Deum precatur, gratias agens pro òmnibus beneficiis quae ab Eo accepit.

Tandem cùbitum it, et in lèctulo iacens tranquillo somno recreatur.

QUAESTIONES.

Quot horas habet dies? Quot ex iis vigilamus? Quot dormimus?

Quid agit bonus puer primo mane? Quem precatur? Cur?

Quid deinde pèragit? Quibus rebus stòmachum rèfovet?

Quid postea còlligit? Cui òsculum dat? Quo se fert?

Quando e schola revèrtitur? Quantum tèmporis in schola consumit?

Quid eum exspectat domi?

Quid agit post pràndium?

Quid agit sero tota famìlia?

Quid agit puer post coenam?

Quo pòstea secedit?

Quid in cubiculo suo agit?

Quid tandem facit? Ubi dormit?

II.

De hebdòmada.

Hebdòmada septem dies complèctitur: haec habent sua nòmina: Domìnica dies, Lunæ dies, Martis dies, Mercùrii dies, Iovis dies, Vèneris dies, Saturni dies.

Domìnica dies apud vèteres Solis dies vocabatur. Nunc Domìnica dicitur quia dies festus Christianorum est, nam ea die Christus a mòrtuis resurrexit.

Saturni dies dicitur etiam sàbbatum. Cum enim Deus sex diebus mundum creavisset, sèptima die requievit; et ideo ea dies « sàbbatum » vocata est, quod hebràice idem signìficat ac « requies ».

Nos quoque sex dies laboramus, Domìnica die requiescimus.

Festis diebus Religionis opèribus màxime vacamus.

Templum mane adimus ibique Missae intèrsumus.

Mater sèdula festis diebus pùeros lectìssimis vèstibus induit, et mensam exquisitiòribus cibis exornat.

Oportet semper, màxime vero festis diebus, mèmores esse pauperum, qui non habent unde cibos et vestes sibi emant.

QUAESTIONES.

Quot dies habet hebdòmada?

Quae sunt nòmina dierum hebdòmadae?

Quo modo vocabatur apud vèteres Domìnica dies?

Cur nunc Domìnica dies vocatur?

Quod àlterum nomen est diei Saturni? Cur?

Quid signìficat « sabbatum »?

A quam lingua sumptum est?

Quot dies laboramus?

Qua die requiescimus? Quid agimus ea die?

Quo imus mane? Cuinam rei intersumus?

Quo modo mater vestit pueros festis diebus? Quo modo exornat mensam?

Quorumnam semper oportet memores esse? Quando nam id maxime oportet?

III.

De mense et de anno.

Quattuor hebdomadae mensem fere faciunt; duodecim vero mensibus formatur annus.

Menses quoque habent sua nomina. Nomina mensium sunt haec: ianuarus, februarus, martius, aprilis, maius, iunius, iulius, augustus, september, october, november, december.

Mensium quidam triginta dies habent, quidam vero triginta et unum, februarus autem duodetriginta.

Annus trecentos sexaginta quinque dies complectitur.

Quinto quoque anno februarus undetriginta dies habet; is annus trecentos sexaginta sex dies complectitur et bissextilis vocatur.

In anno complures dies festi sunt, praeter omnes Dominicas dies. Inter eos sunt praecipui dies Natalis Christi et dies Paschatis, id est Resurrectionis Christi.

Natalis Christi colitur die vigesima quinta decembris; dies Resurrectionis Christi non semper idem est, verum est dominica dies mensis martii vel aprilis.

His diebus maxima laetitia est totius familiae, praecipua vero puerorum, qui dona accipiunt.

Tum, qui longe a familia sua morari cògitur, domum redire studet, ut cum propinquis suis gaudio fruatur.

QUAESTIONES.

Quid faciunt quattuor hebdomadae? Quid duodecim menses?

Quae sunt nomina mensium? Quinam habent triginta dies? Quinam triginta et unum? Quisnam mensis duodeviginti dies tantum habet?

Quid accidit quinto quoque anno? Quo modo vocatur annus quo id accidit?

Qui sunt praecipui dies festi in anno? Quando colitur Natalis Christi? Quando Eius Resurrectio?

Quid iis diebus fit in familia? Quo modo sunt pueri?

Quid tum agit qui longe a familia sua morari cògitur?

IV.

De hominis aetatibus.

Cum homo nascitur puer est. Puer nondum loquens infans dicitur.

Infans est qui non fatur, id est non loquitur. Fari enim idem est ac loqui.

Cum puer e pueritia excedit, adulescens est. Adulescèntia ex septimo decimo anno usque ad trigèsimum fere extenditur.

Post adulescèntiam, homo fit iuvenis.

Iuvenis est qui omnibus viribus suis pollet, et arma ferre valet.

Cum hòminis vires paulatim mìnui incìpiunt, id est cum quinquagèsimum annum iam explevit, senex incipit fieri.

Òmnia haec nòmina virorum sunt. Mulieres parva aetate puellae vocantur, pòstea virgines; mulieres provecta aetate anus vocantur.

Antiqui dicebant hòminem prima aetate quàttuor pèdibus ingredi, mèdia aetate duobus, provecta aetate tribus.

Etenim puer, dum stare non potest, mànibus et pèdibus nìtitur; vir pèdibus tantum, senex pèdibus et bàculo.

O pùeri, verèmini omnes senes et eos qui quadam infirmitate laborant.

QUAESTIONES.

Quid est homo cum nàscitur?

Quo modo vocatur puer non loquens?

Quid signìficat verbum « fari »?

Quid est puer cum e puerità excedit?

Inter quos annos extènditur adulescèntia?

Quid fit homo post adulescèntiam?

Quis est iùvenis? Quid ferre valet?

Quando vires mìnui incìpiunt? Quid tum homo incipit fieri?

Quo modo vocantur mulieres parva aetate? Quo modo pòstea?

Quo modo cum iam provecta aetate sunt?

Quo modo dicebant vèteres hòminem ingredi? Cur?

Quos vereri debetis, pùeri?

V.

Anni tèmpora.

Tèmpora anni quàttuor sunt: ver, aestas, autumnus, hiems. Unumquodque anni tempus tres menses complectitur; ver exeuntem màrtium, aprilem, maium, ineuntem iùnium; aestas exeuntem iùnium, iùlium, augustum, ineuntem septembrem; autumnus exeuntem septembrem, octobrem, novembrem, ineuntem decembrem; hiems exeuntem decembrem, ianuàrium, februàrium, ineuntem màrtium.

QUAESTIONES.

Quot sunt anni tèmpora?

Quot menses unumquodque anni tempus complèctitur?

Quos menses complèctitur ver?

Quos menses complèctitur aestas?

Quos menses complèctitur autumnus?

Quos menses complèctitur hiems?

VI.

Ver.

Ver gratìssimum anni tempus est. Nam hoc tèmpace annum velut repueràscere videmus.

Mense màrtio tempèries adhuc mutàbilis est; pluit saepe, saepe venti terram perflant atque uno et eodem die saepe

caelum mutatur : nunc serenum caeruleumque apparet, nunc repente nùbibus obdùcitur, tempestatemque minatur. Sed fere aer temperàtior fit.

Non àmplius nives, non àmplius frigus, non àmplius pruinae, quibus prata, praesertim mane, albicabant.

Etiam in mòntibus glàcies et nix paulatim solvuntur rivosque lùquidis frigidisque aquis augent.

Agri, favoni aura tepefecti, rigere dèsinunt, glebae putres fiunt. Prata ubique virent et terra, velut refecta, vàrios flores submittit : exìguas vìolas conspicuasque rosas, et insignia caryophylla et àlios plùrimos flores.

Nunc etiam àrbores pomìferae florent. Nihil autem, ut scitis, pùlchrius est quam florentes cèrasi vel mali vel piri vel pèrsicae mali.

Òmnibus arbòribus nunc virentes frondes et gemmae sunt; in quibus aves saepe suavissime canunt. Vere aves nidos fàciunt et ova ibi gignunt.

Hìeme paucas aves in àere volitare videbamus. Nunc pulchrae hirùndines e regiònibus apricis, ubi hìeme degunt, redierunt, veteresque nidos refecerunt. Nunc alis sublatae eunt redeuntque clangòribus caelum implentes, et pullis escam quaerunt, atque rostris in ora indunt.

In silvis luscìniae, vèseri, pulchèrrimos cantus edunt.

Pècudes laetae pàbula persultant novasque herbas carpunt.

Vere agricolae agros còlere incìpiunt. Nunc eos aratra fìrmiter tenentes videmus, quae bobus vecta rectos sulcos in agris imprimunt.

Vere gaudent et sperant hòmines.

QUAESTIONES.

Cuiùsmodi tempus anni ver est?

Quid videmus hoc tempore?

Qualis est tempèries mense màrtio?
Quid saepe àccidit uno eodemque die?
Quid non àmplius videmus?
Quid àccidit in mòntibus?
Quid in agris?
Quid submittit vere terra?
Quinam flores vere nascuntur?
Quid agunt àrbores pomìferae?
Quid vere agunt aves?
Quid luscìniae vèspèri edunt?
Quid pècudes agunt?
Quid agunt agrìcolae?
Quid iùdicas de vere?

VII.

Aestas.

Aestas calidissimum tempus anni est. Prima aestate vel extremo vere agrìcolae fenum falce secare solent. Tum suavis odor idemque acer per prata, praesertim mense iùnio, diffunditur.

Mense iùlio seges matura et aurea est; tunc agrìcolae fàlcibus vel saepius nostra aetate màchinis ad hoc comparatis dèmetunt.

Cum manìpuli humi iacent, messorès mèrgites fàciunt, quae carris in villas portantur ibique coacervantur. Deinde in àreis diligenter aequatis et firmatis hòmines, tribulo frumentum terunt atque in hòrreis condunt.

Aestas opportunissimum tempus ludis et còrporis exercitiònibus est. Mense iùlio et augusto omnes quibus licet mare petunt, atque in undis lliquidis frigidisque lavantur et natant, vel in montes ascendunt aurasque ducunt salubres.

Aestate flores et poma abundant. Bene novisti rubras fragas, cerasa suci plena, dulcia mala armènia, delicata mala pèrsica, grata pruna. Nonne tibi salivam movent? Ex iis òptima liquàmina conficiuntur.

Aestate longas ambulationes pùeri, stùdiis vacantes, vel pèdibus vel bìrotis vel rhaedis motòriis vecti, fàciunt.

QUAESTIONES.

Quale tempus et aestas?

Quid agunt agricolae cum aestas est?

Quisnam est agricolis praecipuus labor aestatis?

Cum frumentum collegerunt, quid agunt?

Ubi illud condunt?

Quibus rebus oppòrtunissima est aestas?

Quid agunt plerique mense iùlio et augusto?

Quid abundat aestate?

Enùmera àliquos fructus quos nòveris.

Qua re vacant pùeri aestatis tèmptore?

Quid tum agunt?

Quibus vehìculis utuntur?

VIII.

Autumnus.

Autumnus ditissimum anni tempus est. Autumno solis aestus mitescit et rusticantes in urbem redire incipiunt. Sed, àntequam rèdeunt, vindèmiaie intersunt. Vindèmia laetissima est et gratissima, praesertim pùeris. Agricolae, càlathis adhìbitis, vites corimbis spòliant, eosque in cupas còngerunt. Pòstea eos còmprimunt ut liquidum ius uvae èxpri-

mant. Hoc ius mustum vocatur. Cum mustum confèrbuit, vinum fit. Vinum dulce et suave est. Mòdicum vinum prodest, contra immòdicum vinum inèbriat et valetùdini nocet. Autumno ficus quoque suavissimi mitescunt. Pùeri libenter àrbores ascendunt et ex illis ventrem implent; sed cum nìmium gulae indulserunt, ventre laborant et amara medicàmina sùmere coguntur.

Sed quid dicam de castàneis, nùcibus, amygdalis, còrylis, cèteris frùctibus huius tèmporis? Praesertim utilìssimae sunt castàneae. Suavìssimae sunt tum elixae, tum assae; praetèrea moluntur et ex earum farina polenta conficitur, nec non òptima liba pinèolis et exsiccata uva conspersa.

Autumno venatores impigre se ad venandum còferunt, nec labòribus vigiliisve parcunt, ut domum rèdeant praeda onusti et laeti. Sed cum nihil ceperunt tris es rèdeunt, et amici eis irrident.

Agri vèrides paulatim colores mutare incipiunt; àrboris fòlia exsiccantur et dècidunt. Tum pùeri tristantur; nam agros, iocos, libertatem relinquere oportet et in urbem ad scholam redire.

Agrìcolae vero agros arant frumentumque serunt.

QUAESTIONES.

Quid tibi videtur de autumno?

Quo rèdeunt rusticantes?

Quid agunt àntequam rèdeunt?

Quid iùdicas de vindèmia?

Quo modo vindèmia fit?

Qua ratione vinum conficitur?

Utrum vinum prodest an nocet?

Qui àlii fructus autumno praesto sunt?

Ad quid castàneae ùtiles sunt?

*Quid agunt hoc anni tēpore venatores?
 Quid pūeri coguntur àgere autumno?
 Quid agunt agricolae?*

IX.

Hìems.

Hìems est frigidissimum tempus anni. Saepe pluit, saepe ningit; semper frigus est. Agri spoliantur, àrbores nudaè in caelum eriguntur. Agricolae domi manent, ad focum se calefacientes, et utensilia aptant vel calathiscos cistellasque viminibus contextis fabricantur.

Agri dormire et requiescere videntur, saepe càndido nivis linteò contecti; caelum triste est et cano colore.

Sed quam dulce est hìemis tēpore domi manere, propter focum cum propinquis suis sedentem, còmiter colloquentem, vel fabellas audientem!

Tunc iuvat etiam lùdere vel talis vel tessèrulis; vel sonos instrumentorum musicorum audire, vel màchinam illam quae vocem hominis canentis reddit audiendo delectari.

Sed hìeme quoque rus et montes oblectamenta habent. Tunc enim montes altissima nive abundant, ubi pūeri gliscere gaudent, gràvibus vestimentis contecti et longis spàtulis lìgneis, quasi ràtibus, pèdibus subnexis.

Tunc etiam, si cuius flùminis aqua acuto gelu compacta constiterit, pūeri per iocum super eam currunt, calceamentis fèrreis quibusdam utentes.

Cum nix ceciderit, pūeri laetissimi sunt, nam ex ea pilas faciunt, quas inter se iàciunt; vel eam còngerunt et figuras quasdam humanas ridìculas faciunt.

Pauperes vero hìeme màxime laborant, nam neque ignem

neque vĕstimenta habent, quibus satis a frīgore protegan-
tur. Eorum meminisse oportet, eisque benefācere.

QUAESTIONES.

Quid tibi videtur de hīeme?

Quid tum in agris accidit?

Quid agunt agricolae?

Quid tum dulce et suave est?

*Quaenam oblectamenta tum inveniri possunt ruri et in
mōntibus?*

Quid agunt pūeri in glācie?

Quid agunt cum nix ceciderit?

*Cur pauperes hīeme māxime laborant? Quid igitur oportet
agat bonus puer?*

X.

De tēporis spatio et de horologio.

Spatium diei in quattuor et viginti horas dividitur; sin-
gulae horae in sexaginta partes; unaquaeque pars quasi
punctum tēporis existimari solet.

Incipit dies non a solis ortu, qui pro temporibus anni
variabilis est, sed a prima hora post mediam noctem.

Spatium diei horologio metimur.

Varia sunt genera horologiorum.

Habemus domi horologium, quod, e pariete pendens, li-
bramento oscillat; aliud in cubiculo positum gārrulo tintin-
nabuli sōnitu nos dormientes e somno excitat: aliud nobi-
scum portamus.

Puer industrius atque impiger, e lectulo mane surgens, terque quaterque horologii gnomones inspicit, ne serius ad ludum perveniat.

Sed non semper horologium recte metitur: nunc subsistit non intentus; nunc retardatur, nunc ocius currit.

Opus est nonnumquam nostrum horologium ordinare, ut cum sibilo, qui hora duodecima publice in urbe datur, congruat.

QUAESTIONES.

Quòmodo dividitur spatium diei? quòmodo singulae horae?

A quo incipit dies?

Qua re diei spatium metimur?

Dic varia genera horologiorum.


Quid agit puer industrius atque impiger?

Cur horologium non semper recte metitur?

Quid opus est facere?



DE FAMILIA.



I.

De parèntibus.

Famìlia parentes, lìberos, fàmulos complèctitur.

Parentes sunt pater et mater. Parentes inter se sunt còn-
iuges, nempe maritus et uxor.

Paterfamìlias est princeps et caput totius famìliae.

Ille labore suo pecùniam lucratur ad paranda òmnia ne-
cessària òmnibus qui in famìlia sua sunt.

Pater mane domo egrèditur, ad opus suum it, nec labori
parcit, nam càritas famìliae suae illi vires dat ad ferendum
laborem.

Màximum praemium laboris eius est òsculum quod liberi
ei donant, cum, fessus labore, domum redit.

Màximam dilectionem maximamque venerationem erga
patrem habet bonus puer.

Materfamìlias tota die domi manet, fìliis et filiabus et
fàmulis invìgilat, òmnia necessària parat et fidèliter dispen-
sat pro cuiusque necessitate.

Cum puer aegrotus est, mater ànxia ad lèctulum eius
vìgilat, illi medicamenta ministrat, suàvibus adlòquis illum
solatur.

Nihil dùlcius est quam matris òsculum et amplexus.

Quidam pùeri matri parère nolunt, et insuaves sunt erga eam. Aliquando eos paenitebit.

QUAESTIONES.

Quos complèctitur famìlia?

Qui sunt parentes? Quòmodo vocatur pater tuus? Quòmodo vocatur mater tua?

Quid sunt parentes inter se?

Quis est paterfamìlias?

Quid agit paerfamìlias?

Quid lucratur? Ad quid eam lucratur?

Quid agit pater mane? Quid agit tota die? Quid dat illi vires ad laborem ferendum?

Quod est màximum praemium patris?

Quid habet bonus puer erga patrem?

Quid agit materfamìlias? Ubi manet tota die?

Quibus invigilat? Quid parat? Quid dispensat?

Cum puer aegrotus est, quid agit mater? Quid ei ministrat? Quo modo eum solatur?

Quale est matris òsculum et amplexus?

Quo modo sunt quidam pùeri erga matrem suam? Quid iis aliquando àccidet?

II.

De liberis et de famulis.

Liberi sunt filii et filiae.

Hi sunt inter se fratres et sorores.

In quibusdam familiis multi liberi sunt: multi filii et

multae filiae; in quibusdam vero pauci; nonnunquam vero etiam unus vel una est.

Cum complures liberi in familia sunt, oportet ut diligant inter se, neve unquam rixentur.

Pueri libenter ludunt, vel pila vel trocho vel parvis equis ligneis.

Puellae libentius pupulis iocantur; eas mane vestiunt, eas deambulatum ducunt, eas sero in lectulo deponunt, quasi matrculae earum sint.

Fratres nonnunquam sorores derident, nam pueri saepe paulum insuaves sunt; tunc sorores flent et rem deferunt ad matrem, nam puellae plerumque ad fletum proclives sunt.

Famuli pretio operam suam locant et officia et mansiones familiae explent.

Cum famulis comites esse oportet, neque cum eis superbe se gerere; nam famuli quoque sunt homines, et ideo fratres nostri.

QUAESTIONES.

Qui sunt liberi?

Liberi inter se quid sunt?

Quot liberi sunt in familia tua? Quot filii? Quot filiae?

Cum complures liberi in familia sunt, quid oportet?

Quid faciunt libenter pueri? Quibus ludunt?

Quibus ludunt puellae? Quid faciunt cum pupulis suis?

Quid faciunt nonnunquam pueri puellis?

Quo modo sunt saepe pueri? Quo modo puellae?

Qui sunt famuli? Quid agunt? Quid accipiunt pro officiis quae explent in familia?

Quo modo esse debemus cum famulis? Quid sumus et famuli et nos? Qui ergo sumus inter nos?

III.

De maiòribus, consanguineis, adfìnibus.

Pater quoque et mater habuerunt parentes, fratres et sorores.

Pater patris est avus paternus.

Mater patris est àvia paterna.

Pater matris est avus maternus.

Mater matris est àvia materna.

Frater patris est pàtruus.

Soror patris est àmita.

Frater matris est avùnculus.

Soror matris est matèrtera.

Fìlii pàtrui vocantur patrueles.

Fìlius filii vel fìliae est nepos.

Fìlia filii vel fìliae est neptis.

Pater mariti vel uxoris est socer.

Mater mariti vel uxoris est socrus.

Maritus fìliae est gener.

Uxor filii est nurus.

Omnes qui gènere coniuncti sunt vocantur consanguineis vel cognati.

Adfines vero vocantur qui, per coniùgia, nobiscum coniuncti àliquo vùnculo sunt.

Exempli gratia : patrueles sunt consanguineis; socer et gener sunt adfines.

QUAESTIONES.

Quis est avus paternus? Quae est àvia paterna? Quis est avus maternus? Quae est àvia materna?

*Quis est pàtruus? Quae est àmita? Quis est avùnculus?
Quae est matèrtera?*

Qui sunt patrueles?

Quis est nepos? Quae est neptis?

Quis est socer? Quae est socrus?

Quis est gener? Quae est nurus?

*Qui sunt consanguìnei? Qua àlia voce nominantur? Qui
sunt adfines?*

*Quo modo vocatur avus tuus paternus? Quo modo ma-
ternus? Quo modo àvia paterna? Quo modo materna?*

*Quot pàtrui tibi sunt? Quot àmitae? Quot avùnculi? Quot
matèrterae?*

IV.

De Patria.

Sed aliud est genus adfinitatis, quae plurimas familias ac gentes arctissimo nodo coniungit.

Homines in eadem regione inhabitantes, qui una lingua loquuntur, qui Deum una religionis ratione colunt, qui una origine, una maiorum memoria, iisdem moribus, iisdem legibus inter se consociati sunt, quasi fratres una Matre prognati existimari solent.

Haec mater, alma parens omnium civium, Patria vocata est.

Italiam nostram populus Romanus antiquissimis temporibus in unam nationem redegit.

Uniuscuiusque Italorum fluit in venis sanguis latinus; permanet in nobis illa eximia virtus Romanorum, qui armis,

sapientia, legibus tot feras gentes ad civilem cultum perduxit.

Fascibus instauratis, Duce Mussolinio, Patria nostra Imperium restituit.

Maximum officium est omnium novae Italicae aetatis adolescentum animos fortiter confirmare, ut Patriam defendant eiusque Imperium augeant.

QUAESTIONES.

Cur Patria quasi maxima familia existimanda est?


Quid egit populus Romanus de Italia nostra?

Quid fluit in venis nostris? Quid permanet in nobis?

Quid restitutum est?

Quòd est iuventutis Italicae maximum officium?

DE ANIMALIBUS.



I.

De cane, de fele, de àvibus domèsticis.

In multis dòmibus sunt canes.

Canis fidelìssimum ànimal est et domum dòmìni sui a fùribus tutatur.

Canis hòminem iuvat etiam in venatione, nam acèrrimo olfactu praeditus est, et velocìssime currit, fàcile ìgitur praedam animadvertit et eam còrripit.

Multas ad res praetèrea idònei sunt canes: scis enim in Alpibus esse quosdam canes qui, vi olfactus ducti, viatores in nive errantes animadvertunt, eisque solàcium àdferunt cum labore et frìgore defècerint.

Aliud ànimal frequenter in dòmibus nostris est, nempe felis.

Felis mures captat, et ìdeo res dòmìni sui a detrimento, quod parvae illae bestiolae àdferunt, defendit.

Aves quoque multi hòmines tenent domi, sed haec ornaménto tantum sunt.

Aves captivae hòmines delectant cantu suo, sed tristis est cantus earum, nam libertate carent.

Boni pùeri aves non captant, sed sinunt eas libertate frui in qua natae sunt.

Mali pùeri sunt qui nidos diripiunt et pullos àuferunt. Cum enim mater eorum revèrtitur cibum àdferens, neque eos rèperit, plerumque magno dolore mòritur.

QUAESTIONES.

Quod ànimal est in multis dòmibus?

Quale ànimal est canis?

Quod còmmodum praebet dòmino suo?

Quas ad alias res aptus est canis?

Quid scis de cànibus qui in Alpibus viatores rèfovent?

Quod aliud ànimal est frequenter in dòmibus hòminum?

Ad quid útilis est felis?

Quod detrimentum àdferunt mures?

Quae animàlia saepe hòmines captiva tenent apud se?

Quam utilitatem praebent?

Qua re aves delectant?

Qualis est cantus àvium captivarum?

Cur tristis est cantus àvium captivarum?

Quòmodo iùdicas pùeros qui aves captant?

Qua re frui sinit aves bonus puer?

Quid tibi videtur de pueris qui nidos diripiunt?

Quid àccidit saepe matri pullorum, cum revertens filiolos suos non rèperit in nido?

II.

De sue et de gallina.

Sus, dum vivit, nihil agit; sed rùsticus illum accurate saginat, ut, cum tempus vènerit occidendi eum, pinguem rèperiat.

Suis caro cibum òptimum hòmini praebet; multis modis condita servatur; ea trita, ipsius suis intestina replentur, et ita fàrcìmina conficiuntur. Suis coxa, sale condita, perna vocatur.

Inter cètera animàlia quae homo ad suam utilitatem alit, praecipuae sunt gallinae.

Gallus est dux et dòminus gallinarum. Rubra crista insignis et pictis alarum et caudae pinnis, se inter gallinas et pullos pipilantes iactat.

Gallinae ova pàriunt, quibus ìncubant; et ex òvibus pulli èxeunt.

Saepe vero, statim ac gallina cantu suo ovum peperisse nuntiavit, accurrit agrìcolae uxor et ovum capit.

Cum satis multa ova coëgerit, ea in urbem adlata vendit.

Ita gallina viva utilitati hòminis inservit; tandem vero mùlier eam frustra fùgere conantem còrripit, obtorto collo necat, in olla aquae plena èxcoquit, suavìssimum ius et exquisitam dapem cònficit, ut convìvium festi cuiuspiam diei paret.

QUAESTIONES.

Quid agit sus dum vivit?

Quid agit rùsticus, dum sus vivit?

Quòmodo cupit esse suem, cum tempus vènerit occidendi eum?

Quid praebet hòmini suis caro?

Quòmodo servatur?

Quid sunt fàrcìmina? Quid est perna?

Quae àlia animàlia praecipua sunt ad utilitatem hòminis?

Quis est gallus?

Describe mihi gallum.

Quid pàriunt gallinae?

Quid facit gallina cum ovum pèperit?

*Num ex omnibus ovis pulli exeunt?
 Ad quid agricolae uxor utitur ovis?
 Quae est saepe mors gallinae?
 Cur ex quibusdam ovis pulli non nascuntur? Quis im-
 pedit?*

III.

De bove, de ove, de caprea.

Bos innúmeros ad usus homini inservit.

Aratro subiectus agros arat, et agricolae agrum praeparat, ut ille semen iacere possit.

Sero autem ad stabula redit, arva laeta mugitu suo complens.

Bos femina lac homini suppeditat. Lacte caseum, butyrum, alia multa gustatu suavissima conficiuntur.

Mortuus quoque bos utilis est homini. Carnes eius manducamus; pelle, cum corium facta est, calceamenta conficimus; cornua, ossa, ungulae, omnia denique perutilia sunt.

Oves quoque multa utilia homini suppeditant.

Lana est vellus ovis. Lana vestimenta conficiuntur.

Lac ovis ad caseum conficiendum est aptum, sed non bibitur ut lac bovis.

Etiam capreae lac et lanam praebent. Capellae colles et montes scandunt, oves vero minus leves sunt.

Ovium pulli agni vocantur; capellarum pulli haedi vocantur. Homo eorum carnibus vescitur.

QUAESTIONES.

*Ad quid homini inservit bos?
 Quid praeparat agricolae?*

Quando redit ad stàbula?
Quid praebet bos fèmina?
Quid conficitur lacte?
Cum bos mòrtuus est, ad quid ùtimur eo?
Quid scis de òvibus?
Quid est lana?
Quid conficitur lana?
Ad quid ùtile est ovis lac?
Quid praebent capellae?
Quid ìnterest inter oves et capellas?
Quòmodo vocantur òvium pulli?
Quòmodo vocantur capellarum pulli?
Ad quid ùtimur càrnibus eorum?

IV.

De èquo, de mulo, de àsino.

Èquus pulchèrrimum ànimal est.

Homo, èquo vectus, celèriter viam cònficit; equo ùtitur miles ut cìtius hostem adgrediatur, et in eum àcrius ìmpetum fàciat.

Èquus cùrrui subiectus hòmines et res eorum trahit.

Nonnullis in locis bovis quoque vices gerit, et aratrum subit.

Mulus pulcher non est ut èquus, sed fortìssimus, et nonnunquam etiam èquo utilior, nam ripidìssima mòntium iuga sùperat, quo èquus pervenire non valet.

Àsinus autem vilius est ambobus, sed tamen hòmini valde ùtilis; nam, parvo et hùmili cibo contentus, labores màximos sùstinet.

Vidìstine ùnquam àsinum parvo còrpore currum mèrcibus

oneratum trahentem? Ut mitis, ut pàtiens est! Dòmini sui truculenti et crudelis vèrbera non sentire videtur.

Crudelis est homo, nam et àsinum vèrberat, et, cum senùerit, sine ulla pietate intèrficit, et àsino hòmines stultos et indoctos còmparat.

QUAESTIONES.

Quid iùdicas de èquo?

Quòmodo homo ùtitur èquo?

Miles praesertim, ad quid èquum adhibet?

Num tantum hòminem vehendo èquus ùtilis est?

Cuius animalis vices gerit èquus nonnullis in locis?

Quid scis de mulo?

Quando praesertim mulus ùtilis est?

Quale ànimal est àsinus?

Quid sùstinet?

Quid cogitavisti, cum tibi àccidit àsinum currum trahentem videre?

Quid iùdicas de homìnibus qui nullam pietatem habent erga bèstias, praesertim erga eas quae ùtiles sunt?

V.

De feris animàlibus.

Ferae dicuntur bèstiae quae apud hòmines non vivunt sed in silvis morantur.

Leo, tigris, elephantus, lupo, ursus, sìmia, multa praetèrea huiùsmodi animàlia saepe mansuefiunt.

Haec animàlia saepe vidistis, pùeri, in hortis pùblicis càveis fèrreis inclusa, vel in theatris ubi, dòmita, spectàculum praebent homìnibus multa iocosa et ridìcula faciendo.

Sunt etiam aves ferae : àquila, vultur, accipiter, milvus, àlia multa.

Aquila regina àvium dicitur. In altissimis montibus inhabitat, unde saepe volatu se super greges àvium praecipitat, et parvos agnos rapit, dum matres balantes frustra ablatos filios queruntur.

Serpentes quidam noxii sunt, nam venenum in dentibus habent, itaque morsu suo mortis causa hominibus et animalibus sunt.

Apud nos unum tantum genus serpentium noxiorum est, nempe viperæ.

Cavere oportet ab omnibus animalibus noxiis.

QUAESTIONES.

Quae bestiae dicuntur ferae?

Nomina quasdam feras.

Vidistine unquam feras ullas? Ubinam vidisti?

Quaenam inter aves sunt ferae?

Quod cognomen est aquilae?

Ubi inhabitat?

Quo se saepe pròicit?

Quid rapit?

Quid agunt oves, cum aquila eorum pullos rapuit?

Quòmodo serpentes quidam nocent?

Quòmodo vocatur anguis nocens qui in nostris regionibus vivit?

VI.

De piscibus.

Innumerabilia sunt genera animalium, quae in mari, in lacubus, in fluminibus vivunt.

Horum maxima pars sunt pisces, qui ova pariunt, atque eo modo propagantur.

Nonnulla autem, ut balaenae et delphini, mammis educant fetum.

Sunt praeterea alia crustata, nempe crustis obducta, ut càm mari; alia mollia aut putaminibus aut conchis aut testis munita.

Ad pisces capiendos homines hamos plerumque adhibent; qui vero piscationi vastissimam operam dant, retibus utuntur.

In Thirreno mari atque Hadriatico maxima piscium multitudo gignitur, ex quibus piscatores magnos atque uberes quaestus sibi constituunt.

QUAESTIONES.

Ubi vivunt pisces?

Suntne alia animalia quae in mari vivunt? Quae sunt?

Quòmodo homines pisces capiunt?

Quibus in maribus nostris magna est multitudo piscium?

Quid faciunt piscatores?

FABELLAE.



I.

Còchleae.

Agricolae puer, qui còchleas torrebat, audivit eas stridentes. Tum ait :

« O pèssima animàlia, aedes vestrae sunt incensae, et vos cànitis! ».

Fàbula demonstrat vituperàbile esse omne, quod extra tempus fit.

QUAESTIONES.

Quid agebat agricolae puer?

Quid audivit dum còchleas torrebat?

Quid ait?

Quid fàbula demonstrat?

II.

Haedus et Lupus.

Haedus, super quamdam domum stans, cum lupum praetereuntem videret, verbis mordacibus ei illudebat.

Lupus autem dicebat :

« Heus tu, non tu sed locus mihi illudit ».

Saepe locus et tempus praebent audàciam contra praestantiores.

QUAESTIONES.

Ubi stabat haedus?

Quemnam vidit praetereuntem?

Quid fecit haedus ille?

Quid respondit ei lupus?

Quid docet fabella?

III.

Leo et Rana.

Leo, cum audivisset aliquando ranam valde clamantem, conversus est ad vocem, putans magnum àliquod ànimai esse.

Cum autem expectavisset paulisper, ut vidit ipsam egressam palude, aggressus eam conculcavit.

Non oportet, ante rem visam, per auditionem solam perturbari.

QUAESTIONES.

Quamnam bèstiam clamantem audivit leo?

Quid putavit leo, audita voce?

Quid autem vidit, cum paulisper expectavisset?

Quid egit lupus, visa rana?

Quid discimus a fabella?

IV.

Cerva et Leo.

Cerva, venatores fùgiens, in antrum intravit; cum autem ibi in leonem incidisset, ab ipso comprehensa est.

Mòriens autem dicebat :

« Hei mihi, hòmines fugiebam, et in bestiarum immanissimam ìncidi! ».

Multi hòmines parva perìcula fugientes in màiora ìncidunt.

QUAESTIONES.

Quosnam fugiebat cerva?

Quo intravit?

In quem ìncidit?

Quid ait mòriens?

Quid docet fàbula?

V.

Senex et Mors.

Senex olim multa ligna secùerat, et illa ferebat; sed, propter nìmium laborem, cum deposuisset onus, mortem invocabat.

Ipsa vero Mors venit, et interrogavit eum quid a se vellet.

Senex pertèrritus ait :

« Ut meum onus attollas ».

Omnes hòmines amant vitam, etsi infelices et mendici sunt.

QUAESTIONES.

Quid secūerat et quid ferebat senex, de quo àgitur in fabella quam legisti?

Cur depòsuit onus?

Quamnam invocabat?

Quid autem egit Mors?

Quid ei respondit senex?

Quid ostendit fabella?

VI.

Àsinus et Vulpes.

Àsinus, indutus pelle leonis, circumibat, àlia animàlia tèrritans, et, forte conspicatus vulpem, conabatur et illam perterrefàcere.

Illa vero (àccidit enim ut eum clamantem audiret) dixit ei :

« Frustra me terrefàcere conatus es : ego te timuissem, nisi rudentem audivissem ».

Nonnulli sunt qui, spècie et vestimento, virtutem vel auctoritatem àliquam ostentant; sed, ut vocem emittunt, suam stultitiam atque ineptitudinem patefàciunt.

QUAESTIONES.

Quid àsinus indūerat?

Quid conabatur ea pelle contectus?

Quid autem dixit ei vulpes?

Quòmodo vulpes sciebat eum àsinum esse?

Quid patet ex hac fàbula?

VII.

Mùlier et Gallina.

Mùlier quaedam vîdua gallinam habebat, quotîdie ovum parientem.

Sed mox illa secum reputavit :

« Haec gallina semel mihi parit in die ; at, si plus hòrdei ei proiècero, non solum semel sed bis, vel etiam ter mihi pàriet in die ».

Et ita fēcit.

Gallina autem, pinguis facta, ne semel quidem in die pàrere pòterat.

Qui propter avaritiam plura cùpiunt quam habent, et praesentia amittunt.

QUAESTIONES.

Quam bestiolum habebat mùlier vîdua?

Quot ova pariebat gallina illa?

Quid secum reputavit mùlier fàtua?

Quid ergo fecit, ut plura ova gallina pàreret?

Quid autem accidit?

Quid ostendit fàbula?

VIII.

Gallina aurea ova pàriens.

Habebat quidam gallinam ova aurea parientem, et, ratus intra eam pondus auri esse, cum eam occidisset, invenit similem rēliquis gallinis.

Tum ait :

« Heu me miserum ! magnas divitias speràveram, et nunc parvis illis destitutus sum ».

Oportet praesentibus contentum esse, et inexplebilem cupiditatem fùgere.

QUAESTIONES.

Quam gallinam habebat homo quidam?

Qua de causa putabat illam aurea ova pàrere?

Quid fecit, et qua spe ductus?

Cuiùsmodi invenit gallinam occisam?

Quid ait?

Quid docet fàbula?

IX.

Testudo et Àquila.

Testudo àquilam orabat :

« Doce, quaeso, me volare ».

Haec autem admonebat :

« Procul hoc a natura tua est ».

Sed illa magis prècibus instabat.

Comprehendit ìgitur eam ùnguibus, et in altum sùstulit ; deinde eam demisit.

Illa vero, cum cecidisset in petras, contrita est.

Qui prudentiorum consiliis aures non praebent, saepe se ipsos laedunt.

QUAESTIONES.

Quid orabat àquilam testudo?

Quid admonebat eam àquila?

Num testudo desistebat a prècibus suis?

Quid tandem egit àquila?

Quid vero accidit testudini?

Quid discimus e fabella?

X.

Aethiops.

Aethiopem servum quidam emit, existimans talem ei esse colorem negligentia eius, qui prius eum habuerat.

Itaque, cum eum domum adduxisset, omnes purgationes adhibebat, omnibus lavacris studebat eum emundare.

Sed colorem mutare non potuit; labor autem morbum ei comparavit.

Quod natura dedit nemo mutare potuit.

QUAESTIONES.

Cuius nationis servum emit sibi homo de quo fabula narrat?

Qua de causa existimabat eum nigrum esse?

Quid igitur fecit, statim ut eum domum adduxit?

Num potuit colorem eius immutare?

Quid contra sibi comparavit multo labore?

Quid discere potes a fabula?

XI.

Gallina et Hirundo.

Gallina, serpentis ovis inventis, diligenter ea excalegit.

Hirundo autem, conspicata eam, ait :

« O stulta, quid ista foves? quae, cum excreverint, a te prima iniuriam facere incipient ».

Pravitate naturae ne maxima quidem beneficia mittere possunt.

QUAESTIONES.

Quid invenit gallina?

Quid fecit, ovis serpentis inventis?

Quae avis eam conspicata est?

Quid ei dixit hirundo?

Quid ostendit fabella?

XII.

Vulpes et Leo.

Vulpes, nunquam conspicata leonem, cum forte ei occurrisset, primum sic territa est, ut paene moreretur.

Deinde, iterum conspicata, est territa quidem, non tamen ut prius.

Tertio autem cum vidisset eundem, tantam habuit confidentiam, ut ad colloquium cum eo veniret.

Hoc idem in hominum vita : ad res formidabiles facilem accessum patefacit consuetudo.

QUAESTIONES.

Quid accidit vulpi, cum primum conspicata est leonem?

Quid accidit ei cum iterum eum vidit?

Quid cum tertio vidit?

Quid docet fabula?

XIII.

Iuppiter et Testudo.

Iuppiter, nuptias celebrans, omnia animalia convivio excipiebat; sola vero testudine tarde adveniente, admirans causam tarditatis, interrogabat eam cur ad coenam non adfuisset.

Illa autem respondit :

« Domus mea, domus optima ».

Tum rex deorum, iratus ei, condemnavit eam ut domum, tamquam sarcinam, circumferret.

Multi homines eligunt potius tenuiter apud se vivere, quam apud alios splendide.

QUAESTIONES.

Quid celebrabat Iuppiter?

Qui erant eius convivae?

Quod animal tarde advenit?

Quid Iuppiter interrogavit testudinem?

Quid illa respondit?

Quid ergo fecit Iuppiter?

Quid patet ex fabula?

XIV.

Adulescèntuli et Coquus.

Duo adulescèntuli coquo adsidebant.

Coquo vero circa àliquod domesticum opus occupato, alter illorum partem carnis subripuit, et in alterius demisit sinum.

Converso autem coquo, et carnem quaerente, qui abstulerat iurabat se non habere, qui habebat se non abstulisse.

At coquus, ubi animadvertit nequitiàm illorum, ait :

« Cèterum, etiam si me celatis, non tamen Deum celàbitis, per quem peieratis ».

QUAESTIONES.

Cuinam adsidebant duo adulescèntuli?

Quid ràpuit alter eorum?

Quando carnem ràpuit?

Quo eam demisit?

Quid quaesivit còquus conversus?

Quid respondit ei adulescèntulus qui carnem rapuerat?

Quid alter, qui raptam suscepèrat?

Quid ait còquus?

Quid iùdicas de adulescèntibus illis?

XV.

Agricola et fìlii eius.

Agricola quidam, excessurus vita, et volens suos fìlios periculum fàcere agriculturae, eos arcessivit, et :

« Fìlii mei, inquit, ego quidem iam vita decedo; vos

autem, quae in vinea a me occultata sunt, cum quaesiveritis, invenietis omnia ».

Illi igitur, arbitrati thesaurum alicubi conditum esse, omnem vineae terram, post obitum patris, circumfoderunt, et thesaurum quidem non invenerunt; vinea vero, egregie fossa, multiplicem fructum reddidit.

Homìnibus thesaurus est labor.

QUAESTIONES.

Quid ait agricola mòriens filiis suis?

Cur ita mentitus est?

Quid arbitrati sunt filii, auditis verbis patris?

Quid ergo egerunt, ut thesaurum reperirent?

Quid docere vult haec fabella?

XVI.

Dòminus et Canes.

Vir quidam, ab hieme in suo subùrbio comprehensus, primum aves comedit, deinde capreas.

Hieme autem invalescente, etiam operarios boves mactavit, et comedit.

Canes autem, haec conspicati, collocuti sunt inter se :

« Fugiamus hinc; si enim operariis bubus dòminus noster non pepercit, quòmodo nobis parcat? ».

Eos màxime fùgere et cavere oportet, qui neque a domesticis manus abstinent.

QUAESTIONES.

Ubinam comprehensus est ab hieme vir quidam?

Quid ergo primum manducavit, ut vitam suam sustentaret?

Quae animalia postea occidit, ingravescente hieme?

Quid inter se locuti sunt canes, cum haec vidissent?

Quid ostendit fabula?

XVII.

Vulpes.

Vulpes, laqueo capta, cum vix evasisset abscissa cauda, intolerabilem propter ignominiam ducebat vitam.

Decrevit igitur et ceteras vulpes hortari, ut sibi caudas abscinderent.

« Si hoc effecero, dedecus meum communi incommodo occultabo ».

Et, cum omnes congregavisset, hortabatur eas ut caudas abscinderent.

« Non solum, inquit, indecorum hoc membrum est, sed etiam supervacaneum onus appensum ».

Tum quaedam illarum ait :

« Heus tu, nisi hoc tibi conduceret, idem nobis non consuleres ».

Pravi homines non propter benevolentiam erga suos propinquos dant consilium, sed propter commodum suum.

QUAESTIONES.

Quid amisit vulpes?

Quomodo caudam amisit?

*Quòmodo calamitatem suam ferebat?
 Quid stàtuit, ut oppròbrium suum tòllet?
 Quid ergo ait vùlpibus congregatis?
 Quid autem respondit quaedam ex illis?
 Quid ostendit fàbula?*

XVIII.

Mercùrius et statuàrius.

Mercùrius, cognòscere volens quanto in honore esset apud hòmines, ivit in domum statuàrii, cum se sìmilem fecisset hòmini.

Et, conspicatus stàtuam Iovis, interrogabat quanti eam èmere posset.

Cum ille vero respondisset : « Drachma », risit, et :
 « Quanti, inquit, stàtuam Iunonis? ».

« Pluris » respondit statuàrius.

Tum vero, conspicatus suam stàtuam, et arbitratus, cum nùntius esset deorum et lucrosus, se magno prètio esse apud hòmines, interrogavit de sese.

At statuàrius dixit :

« Si hos èmeris, hunc gratis tibi dabo ».

Nonnulli, qui in nullo sunt honore apud hòmines, vanam glòriam àppetunt.

QUAESTIONES.

Quid cognòscere volebat Mercùrius?

Quo ivit?

Quid conspicatus est, et quid quaesivit?

Quid respondit ei artifex?

Quid iterum vidit, quidque quaesivit?

Quid tertium vidit, et quod responsum habuit a statuàrio?

Quid discimus a fabella?

XIX.

Lupus et Anus.

Lupus esùriens circumierat, quaerens cibum.

Cum autem venisset ad quamdam casam, audivit puellum plorantem, et anum ei dicentem :

« Dèsine plorare; sin minus, hac ipsa hora tradam te lupo ».

Tum lupus còstitit, ad multam exspectans horam.

Cum vero vesper advenisset, audivit eandem anum blandientem pùero, et dicentem :

« Si vènerit lupus huc, interficiemus eum ».

Cum haec lupus audivisset, abiit dicens :

« In hac casa àlia dicunt, àlia faciunt ».

QUAESTIONES.

Quo venit lupus esùriens?

Quid quaerebat?

Quid audivit?

Quid tum egit lupus?

Quid sperabat?

Quid autem audivit vèspere?

Quid tum dixit lupus?

Quid docet fàbula?

XX.

Homo qui confregit stàtuam.

Homo quidam, cum ligneum haberet deum et pauper esset, supplex orabat ut sibi benefàceret.

Cum autem nihilòminus in paupertate dègeret, iratus, eum corripuit crùribus, et in pavimentum proiecit.

Colliso càpite et mox confracto, magna vis auri effluxit.

Quod cum colligeret, homo exclamabat:

« Perversus es, deus, et ingratus: colentem me minime iuvisti, verberantem autem multis bonis me affecisti ».

QUAESTIONES.

Quid habebat homo pauper?

Quid orabat deum?

Audiebatne deus preces illius?

Quid tum fecit homo ille?

Quid e statua confracta fluxit?

Quid ait homo colligens aurum?

Quid fàbula docet?

XXI.

Malèficus.

Vir malèficus ad eum qui est Delphis vènerat Apòllinem, tentare eum volens.

Itaque, cum sumpsisset passèrculum in manum, et eum

veste contexisset, stetit ante tripodem et interrogavit deum, dicens :

« Apollo, quod manibus gero, utrum spirat an non spirat? ».

Hoc autem dicebat eo consilio ut, si ille non spirare diceret, vivum ostenderet passerulum; si autem spirare, continuo suffocans, mortuum eum proferret.

Sed deus, malignam eius cognoscens mentem, ait :

« Utrum vis facere, fac; in te enim situm est hoc facere: vel vivum quod tenes, vel mortuum, ostendere ».

QUAESTIONES.

Quo ivit vir malèficus?

Qua mente ivit ad Apòllinem?

Quid manibus gerebat?

Quo modo se gèrere volebat, ut deum falleret?

Quid igitur deum interrogavit?

Quid autem respondit deus?

XXII.

Puer et Mater.

Puer, ex ludo litterario condiscipuli librum furatus, tulit eum matri.

Cum vero mater eum non obiurgavisset, sed potius recepisset librum, adultus progressu temporis, coepit et maiora furari.

In ipso autem furto aliquando comprehensus, ducebatur recta ad mortem; matre vero sequente et lamentante, ille carnifices oravit, ut sinerent se pauca in matris aurem dicere.

At, statim atque illa ad os filii se admovit, hic aurem eius dèntibus mordens àbstulit. .

Matre vero et cèteris accusàntibus, quod non solum furatus esset, sed etiam in matrem impius fuisset, ille respondit :

« Ista mihi perditionis causa fuit. Si enim, cum librum furatus sum, obiurgavisset me, nunc ad mortem non ducerer ».

Eorum, qui ab inìtio non puniuntur, magis ac magis crescunt malefacta.

QUAESTIONES.

Quid furatus est puer?

Ubi librum furatus est?

Cuinam tulit?

Quid egit mater?

Quid vero fàcere debuit?

Quid pòstea egit puer, cum adultus factus est?

Quid àccidit ei, cum in furto comprehensus est?

Quisnam sequebatur eum?

Quid agebat mater sequens filium qui ad mortem ducebatur?

Quid oravit filius carnifices?

Quid fecit matri admoventi se ad os eius?

Quid accusabant eum mater et omnes qui circa erant?

Quid respondit filius?

Quid docet fàbula?

Quid iùdicas de filio?

Quid de matre?

XXIII.

Vulpes et Hircus.

Vulpes et hircus, sitientes, in pùteum descenderunt.

Pòstquam autem biberunt, hirco indaganti ascensum, vulpes eit :

« Confide; ùtile quidpiam, et in amborum salutem, excogitavi. Si erectus stèteris, et anteriores pedes ad murum applicàveris, et cornua in anteriorem partem inclinàveris, percurrens per tuum dorsum et còrnua, et extra pùteum hinc exsiliens, te pòstea èxtraham ex eodem loco ».

Hircus, sine mora, suum offìcium ad hoc praestitit, et vulpes pùteo exsiluit, laetaque circa os eius exsultavit.

Hircus autem eam arguebat, tamquam transgressam pac-tiones.

Illa vero :

« Si tot, inquit, mentes possideres quot in barba pilos, non prius descendisses, quam adscensum consideravisses ».

QUAESTIONES.

Quo descenderunt vulpes et hircus?

Cur in pùteum descenderunt?

Quid ait vulpes hirco, pòstquam ambo biberunt?

Quo modo vulpes e pùteo exsiluit?

Quid pòstea egit?

Quid querebatur hircus?

Quid ait vulpes hirco arguenti quod foedera transgressa esset?

Quid ostendit fàbula?

Quid iùdicas de vulpe?

Quid de hirco?

XXIV.

Èquus et Àsinus.

Àsinus qui, onustus sarcinis, cum èquo iter faciebat, ait :
« Tolle mihi partem òneris, quod hàbeo in tergo ».

Sed èquus negavit.

Àsinus vero, labore confectus, cecidit et ànimam efflavit.

Tum dòminus èquo sarcinas impòsuit quas àsinus àntea portaverat, et ipsam pellem àsino detractam.

« O me mìserum, inquit; qui enim nòlui parvum onus accipere, ecce òmnia porto, etiam pellem! »

QUAESTIONES.

Quid portabat àsinus?

Quocum iter faciebat?

Quid rogavit èquus?

Quid respondit ei èquus?

Quid tum accidit àsino illi mìsero?

Quid tum egit dòminus èqui et asini?

Quid ait èquus?

Quid iùdicas de èquo?

Cuinam tibi similis videtur?

XXV.

Mùlier et ancillae.

Vidua mulier operosa, cum ancillas haberet, eas nòctu excitare solebat ad òpera circa gallorum cantum.

Illae autem, contìnuo defatigatae labore, gallum statuerunt interficere qui domi erat.

Sed pòstea in graviora mala inciderunt; nam dòmìna, ignorans gallorum horam, saepe prima nocte excitabat ancillas.

QUAESTIONES.

Quid solebat facere vidua mùlier operosa?

Quando ancillas excitabat?

Quid ergo statuerunt ancillae?

Cur gallum statuerunt occidere?

Quid autem pòstea evènit?

Quid ergo discimus a fabella?

XXVI.

Piscator.

Iones et Aeoles, ubi Lydii celèrrime a Persis prostrati sunt, legatos ad Cyrum miserunt qui postularent ut iisdem conditionibus quibus Croeso paruissent, eos in deditionem reciperet.

At Cyrus respondit per apòlogum :

« Tibicen quidam, imperitus piscandi, cum in mari pisces vidisset, tibia canere coepit, putans eos progressuros in terram.

Ut vero sua spe est deceptus, everriculum cepit et magnam piscium multitudinem usque ad ripam traxit.

Cum autem videret palpitantes, ait :

« O pèssima animàlia, cum canebam tibia, non saltabatis; cum vero cessavi, id fàcitis ».

Cyrus hunc apòlogum Iònibus et Aeòlibus ideo dixit, quod Iones, ipso Cyro invitante per legatos ut deficerent a Croeso, non paruerant.

Tunc autem, rebus male gestis, ad oboedièntiam parati erant.

Haec fere dixit ira commotus.

QUAESTIONES.

Ad quemnam miserunt legatos Iones et Aeoles?

Quem ad finem legatos miserunt?

Quòmodo respondit eis Cyrus?

De quonam narrabat apòlogus?

Quòmodo tibicen putabat se càpere posse pisces?

Num id quod sperabat consecutus est?

Quid tum egit?

Quid dixit, cum pisces palpitantes vidit?

Cur hunc apòlogum Cyrus dixit?

Quòmodo haec dixit?

XXVII.

Lignator et Mercùrius.

Lignator quidam apud flùvium suam amiserat securim. Inops auxìlii in ripa sedens plorabat. Mercùrius autem, ut cognovit causam, miseratus hòminem, descendit in flùvium, auream ostendit securim, atque, an haec esset quam amiserat, interrogavit. Illo vero hanc non esse dicente, iterum descendens, argènteam produxit. Illo vero ne hanc quidem esse respondente, tèrtio descendens, eius pròpriam pròtulit. Eo autem hanc vere esse depèrditam dicente, Mercùrius, probata eius iustìtia, omnes ei donavit. Ille profectus, òmnia quae evènerant sòciis suis expòsuit. Unus eorum simìlia efficere constituit. Profectus ìgitur ad flumen, cum pròpriam securim compòsito demisisset in flùvium, flens residebat.

Cum ìgitur ei apparuisset Mercùrius, et causam fletus didicisset, in flumen, ut àntea, descendit; et, auream securim pròferens : « Vera lòquere, inquit, securimne hanc amisisti? »

Admodum laetatus : « Vere ista est » respondit ille.

Tum deus, tantam impudèntiam perosus, non solum auream illam retinuit, sed ne pròprium quidem ipsius ei rēdidit.

QUAESTIONES.

Ubi amiserat securim lignator de quo fabella narrat?

Quid agebat ille in ripa sedens?

Quis apparuit illi?

Quid rogavit?

Quid egit, cògnita causa fletus illius?

Quid primum e flùvio extraxit, et quid interrogavit lignatorem?

Quid respondit lignator?

Quid secundo pròtulit, quidque interrogavit?

Quid iterum ille respondit?

Tèrtio autem, quid tulit, quid quaesivit, quod responsum accepit?

Quid egit tunc Mercùrius?

Cuinam eventum narravit lignator?

Quid tum egit quidam e sòciis illius?

Quòmodo cum illo se gessit Mercùrius?

Quodnam documentum e fàbula trahi potest?



DIVERBIA.



I.

Pueri ante ludum inter se colloquentes.

Marcus. Heu, salve! quantòpere te aspìcere gaudeo!

Lucius. Ego non minus! quid agis? quòmodo ferias perduxisti? Quando in urbem rediisti?

Marcus. Non ita pridem; vix hodie mane rure decèdere constitui; benignum enim tempus anni, locorum amoenitas usque ad extremum mihi suaserunt ut quiete otioque perfrèrer. Nunc... fateor me invitum rediisse.

Lucius. Macte virtute esto; non semper eadem iucunda sunt; iuvat interdum vitae rationem permutare. Ego nonnullis diebus ante quam ludum litterarium adirem, ad urbanam consuetudinem me revocare volui.

Marcus. Recte hoc fecisti; ego autem, oblectationibus et crebris cuiusque generis itineribus impeditus, vix mèmìni ferias quoque, ut ceteras hominum res, ad finem perventuras.

Lucius. Cuiusque generis itineribus impeditusne es tu? Non bene intèllego.

Marcus. Facile est quod dico; ruri enim continuo permanere, unum locum servare mihi taediosum atque molestum fuit: nunc agros pedibus peragrabam, nunc iuga montium magna pulmonum contentione ascendebam, saepius autem

rheda motoria vehebar; haec sunt igitur itinera iucundissima, atque ingenio meo maxime consentanea.

Lucius. Credo èquidem; sed... dic mihi: quam saepe vel quae itinera ista tua rheda motoria perfecisti?

Marcus. Longum est singula enarrare; sed breviter nonnulla memorabo: Uno die a villula, quam ad Larium lacum pater locaverat, usque ad Romam perveni; altero per vallem, quam Sesia flumen interfluit, Poeninum montem attingi; tertio per Apenninum in Etruriam et Florentiam descendi; quarto usque ad Neapolim progressus sum.

Lucius. Gratulor vehementer tibi, quod Italiae nostrae tot regiones tamque longinquas urbes exiguo temporis spatio peragravisti. — Me contra parva et rustica domus continuit, donec...

Marcus. Quid fecisti? Lòquere!

Lucius. Daedaleis alis, vel potius aligera nave *mare nostrum* pervolavi.

Marcus. Quod *mare nostrum* appellas? Inferumne an Superum?

Lucius. Non recte intèllegis. Mare quod ab Africa Europam seiungit, id *nostrum* veteres vocaverunt. Num tibi hoc memoria dècidit? — Nonne maiores nostri sunt Romani? Ideo nobis quoque hoc *mare nostrum* appellandum est.

Marcus. Verum dicis; perge igitur!

Lucius. Deinde per Rubrum fretum inter Arabiam et Aegyptum Erythraeam, coloniam nostram, transvolavi; postea, in Aethiopiam, nostrorum militum virtute a diuturna feritate ad Italorum cultum atque humanitatem vindicatam, aëriam proram verti; dènique in urbe Addis Ababa, quod novi italici imperii caput est, alas posui atque requievi... Postremo...

Marcus. Quid aliud fecisti?

Lucius. E somno in lèctulo me pater excitavit. — Surgere — inquit — tempus est; ad ludum pròpera.

Marcus. Mirabilis quidem mentis tuae celèritas videtur : longius progressus es. Ego, qui ad admirationem movendam multa narrando finxi, cedo tibi.

Duo condiscipuli, post ferias aestivas, ante initium ludi litterarii inter se conloquuntur.

Marcus mirabilia narrat de nonnullis itinèribus, quae tota Italia se confecisse adfirmat.

Lucius, qui sodalis narrationi nullam praebère fidem videtur, multo mirabiliora itinera narrando fingit, quae... in somniis vidit.

II.

Pueri in ludo litterario.

Carolus. In aula, quaeso, considamus magistrum expectantes.

Marcus. Ego certe non ingrediar : nonne saepius vetuit nos in aulam ante adventum suum ingredi ? Parendum est dicto !

Carolus. Nihil est quod metuas ; nemo enim nobis invigilat ; cum autem magistrum advenientem animadvertèrimus, raptim foras egrediemur. Iam frigore laborare coepi : nihil molestius mihi quam per has algidas mesàulas deambulare, vel, peius, immotis pedibus stare.

Marcus. Ingrediamur igitur ; sed te rogo ut diligenter invigiles, ne, nobis inopinantibus, magister adveniat.

Carolus (in suo scamno sedens). In primis hunc de latina grammatica librum me oportet in tuto loco còndere, ut meo commodo in eo inspiciam, et magistri vigilantiam decipiam. Hic est.

Marcus. Cur hoc caves? non intellego.

Carolus. Quid? Num oblitus es hodie periculum latine scribendi faciendum esse?

Marcus. Me stultum, ineptissimumque! Hoc mente mihi deciderat. Quid nunc agam? Quo me vertam? Neque lèxicon mihi est, neque liber grammaticae disciplinae, ne tabella quidem verborum, quae ediscere nequivi, vel potius nolui: auxilium, praecor, mihi da, optime amice mi.

Carolus. Hoc in pòsterum; nunc aula pròpere exeamus; magister adest.

(discipuli omnes in duos ordines dispositi, manibus erectis, magistrum salutant.)

Magister. Iterum atque iterum vobis praecèperam, ne quis in aulam, me absente, incèderet. Tamen sunt adhuc qui dicto non pareant: te vidi, Marce, teque, Carole, celeri gradu aula decedentes.

Marcus. Minime vero; nunquam hoc loco decessi, quamvis in mesaulis ex pedibus atque manibus propter frigus laborarem.

Magister. O mendacissime omnium; ipsamne veritatem negare audes?

Carolus. Parce mihi, te òbsecro, magister; fateor quidem, tuo iniussu, me in aulam ingressum esse; neque tamen auctoritatem tuam contempsi; sed tibi officium aliquod pràestiti: cathedrae, quam famulus iam diu neglexerat, pulverem atque aràneas deteresi.

Magister. Tuam, Carole, probitatem laudo; te contra, Marce, qui in me expectando tantum frigoris passus sis, quo magis perferendo assuescas, pauxillum temporis ianuam custodire iubeo. — Vos autem, pueri, ingredimini; stilos ad scribendum expèdite.

Carolus. Dum ianuam servas, Marce, libri quos seposuisti, optime me iuvabunt.

Marcus (submissa voce sed ira tumeus). Pessime, nebu-

Io! Quantum est in te proterviae atque inhumanitatis! Tuo maleficio hanc poenam persolvo; visne etiam mihi irridere? Mox tamen parem tibi referam gratiam.

Marcus et Carolus deprehensi sunt a magistro, dum, iniussu eius atque eo absente, in aula manent.

Marcus, qui veram causam, qua dicto magistri parere noluerat, aperte confitetur, poenam solvit.

Carolus, qui callide ficticiam causam simulaverat, veniam a magistro impetrat.

Non semper simplicitatem maxima utilitas prosèquitur.

III.

De pueris per nivem decurrentibus. (I)

Franciscus. Dènique aulam relinquere licet. Quamdiu tintinnàbuli sònitum expectavi. Impatiens studii ac magistri, aegèrrime ferebam me quattuor aulae parietibus continèri.

Antonius. Non minus ego excruciar; ut vero animadverti de coelo nives minutas et leves pervolitantes delabi, abstinere non potui, quin saepius atque saepius per fenestras oculos et animum ad eas converterem.

Franciscus. Vidi enimvero; magister autem te obturbatorem nonnunquam ex aula detrudere minitatus est.

Antonius. Nunc demum libertate frùimur. O mirificum spectaculum! Mente iam fingo quo candido linteo in suburbanis hortis prata contecta sint. Eamus in hortos! Visne mecum pilis niveis ludere, vel nive congesta figuras effingere?

Franciscus. Non àdmodum sanus mihi videris. Quota hora est? quaeso.

Antonius. Fere hora quinta, ut arbitror.

Franciscus. Multum fàlleris, amice. Iam praetèriit hora sexta. Esurio, parentes ad ientàculum me exspectant; domum abeo.

Antonius. Abi! Tamen post meridiem... num recusabis te in suburbanos hortos mecum convenire?

Franciscus. Iam nunc, mehèrcule, recuso. Nonnullas Phaedri fabulas memoriae mandare, latinam epistolam compònere: haec omnia mihi expedienda sunt.

Antonius. Noli aliena loqui! Haec nullius momenti, quae dicis, in vesperum differre poteris. In hortis monticulum quemdam vidi, qui, nive opertus, ad gliscendum maxime idoneus mihi videtur. Eamus, si vis! Habesne spatulas?

Franciscus. Sunt quidem mihi spàtulae: tamen...

Antonius. Quid dubitas? Iucundissime delectàbimur. Da mihi fidem te illuc venturum.

Franciscus. Polliceor me venturum. Salve.

Ningit. Duo sodales e ludo litterario èxeunt. Nihil iucundius, nihil optabilius quam per nives gliscere.

Antonius amico suadet, ut studium in posterum tempus differat, et post prandium in hortos suburbanos se cònferat.

Franciscus annuit, quamquam non sine cunctatione.

IV.

De pueris per nivem decurrentibus. (II)

Antonius. Nunc demum te video! Paene in timorem perveneram ne quid te impediret, vel potius ipse de sententia decederes.

Franciscus. Vix matrem invigilantem effugi. Domo me dimittere nolebat: frigus, nives, periculum aegrae valetudinis mihi obiciebat. Dènique, Fortuna adiuvante, matronae cuiusdam adventus eam a vigilantia deduxit.

Protinus spatulas patris mei, qui nunc abest, ex armario arripui ac furtim huc veni.

Antonius. Impune hoc non fèceris, ut àrbitror; tamen, quoniam venisti, paullulum huic oblectationi indulgère liceat; post horam si domum redieris, mater tua te clam profugisse non animadvertet.

Franciscus. Ad illum igitur monticulum, quem dixisti, eamus.

Antonius. Eamus quidem (*submissa voce cantat*):

*Vides ut alta stet nive candidum
Soracte...*

Franciscus. Quid est *Soracte*?

Antonius. Num hoc ignoras? Horatius veteresque poëtae montem non longe ab Urbe eminentem *Soracte* vocabant, cui non valde dissimilis hic monticulus est, sed aliquanto humilior.

Franciscus. Nunc ascendamus, si vis; perspiciendum est enim, unde per nivem spatulis gliscere possimus.

Antonius. Qua leniter acclivis videtur, hac primum de-

currere invat; deinde... cur nondum spatulas pedibus subnexusisti? àgedum!

Franciscus. Celeriter hoc faciam. Paratus sum, ut vides; tu autem, gliscendi peritissimus, dignus es, qui prior virtutis tuae periculum facias.

Antonius. Non recuso. Sèquere me, si audes!

Franciscus. Pròtinus te pròsequar. Actum est. Videsne?

Antonius. Video, mehèrcule, quam validum et crùribus et talis te praebeas! Nunc denuo ascendamus.

Franciscus. Nihil facilius quam per hunc lenissimum ac brevissimum clivum terque quaterque irrèpere et decurrere; sed brevi taediosum fit.

Antonius. Quid tibi vis? Num in Alpium iugis versamur, ubi per amplitudinem nivalium camporum longe lateque dèlabi liceat? Tamen ecce illud... (quomodo id appellem?) parvum promunturium prominens! Ex eo desilire mihi in mentem vènit.

Franciscus. Prius vero prospiciendum videtur, quo desilientes perventuri simus.

Antonius. Nihil quod metuas; ex modica altitudine desilientes aequus locus, molli stratu nivis contectus, nos excipiet. Àgedum!

Franciscus. Nihil paveo, mehercule!... Me miserum! Perii.

Antonius. Quidnam evenit? quo decidisti?

Franciscus. In foveam dècidi! Limo oppletus, nive òbrutus sum, nec quomodo me expediam invenio. Fer mihi opem!

Antonius. Quid nunc faciam! Nemo adest qui nos àdiuvet. Pòrrige manus, ut sursum te extollam! Còllige vires, pedibus contende!... eheu! incolumis es.

